

nationem extrinsecam nempe ab actione, quæ est extra agens, cur non etiam aliquid possit dici *causa efficiens* per denominationem extrinsecam ab actione sive effectione, quæ est extra causam efficientem. Quod autem *Causalitas* potest esse extra causam, ostendi potest exemplo *causæ finalis* cujus *causalitas* est *actus appetitus*, qui actus non est in *causa finali*, sed in *appetitu*. Videatur plenius Suarez. num. 9. & seqq.

Th. XII.

Quibus ita declaratis nonnullas quæstiones circa causam efficientem subjungemus, quas inter prima in acie stabit hæc: *An scil. causa efficiens naturalis objecto præsentem suas actiones ita suspendere possit, ne eas in istud objectum exerceat?* In qua difficultate negativam defendimus. Antequam autem illud adducamus, sciendum causam naturalem multis modis dici (I.) *Naturale* opponitur *violento*, omnino sicut motus dicitur naturalis vel violentus. Motus autem naturalis est, qui fit à principio intrinseco ipsi mobili; & motus violentus est, qui fit à principio extrinseco repugnante subjecto. Igitur *agens naturale* est, quod est *principium motus naturalis*. *Agens violentum* est, quod est *principium motus violenti*. (II.) *Naturale* opponitur *artificiali*. Tum igitur *agens naturale* est, quod *agit solum ex principiis natura*. *Agens autem artificiosum* est, quod *agit secundum artem*. (III.) *Naturale* opponitur *supernaturali*. Tum igitur *agens naturale* est, quod *agit secundum principia natura, modo & ordine naturali*. (IV.) *opponitur animali*, sicut & motus distinguitur etiam in animalè & naturalem. Et tum *agens animale* est *agens per cognitionem sensitivam vel intellectivam*. *Agens autem naturale* est quod *agit sine cognitione* (V.) denique *naturale* est, quod *agit ex natura impetu & interna quâdam necessitate*. Est hæc ultima significatio hujus loci. Tales causæ naturales sunt, quod sol illuminet, magnes trahat ferrum, leo rugiat. Et eam definimus, quod sit id, quod *positis omnibus ad agendum requisitis non potest non agere, aut diversum agere*. Quibus stantibus sic argumentamur; Quæcumque causa ad unum oppositorum determinata est, quæque etiam ad extremum virium & semper eodem modo positis omnibus ad agendum nequisitis agit, illa causa non potest præsentem abjecto

ita